

Bibliothèque numérique

medic@

**Le Moine, François-Marie - candidat /
Capet, Hugues - président. - An
Recens nato recens Lac Maternum.**

1767.

***Paris : Typis Quillau,
Universitatis & Facult. Medic.
Typographi
Cote : ms 2336 n°22***



Licence ouverte. - Exemplaire numérisé: BIU Santé
(Paris)

Adresse permanente : http://www.biusante.parisdescartes.fr/histmed/medica/cote?ms02322_ms02337ax15x0022



DEO OPT. MAX.

UNI ET TRINO,

VIRGINI DEI-PARÆ, ET S. LUCÆ,
Orthodoxorum Medicorum Patrono.

QUÆSTIO MEDICA,

CARDINALITIIS DISPUTATIONIBUS

*manè discutienda in Scholis Medicorum, die Jovis nonâ mensis
Aprilis, Anno Domini M. DCC. LXVII.*

M. HUGO CAPET,

Doctore Medico, Præside.

An Recens nato recens Lac Maternum.

I.



OMO naturæ soboles excellentior, cæteris viventibus, ortus dignitate formæque corporis dum præest, ab iis sæpè salubritate vitæ & diuturnitate vincitur. Vix natus moritur, quotidie demitur pars aliqua vitæ, & ipse dum crescit, vita decrescit. Fatalem moriendi necessitatem eo diutius remoratur natura, quò similioribus alimentis substantiæ damna restituit. Ecquid aliud nutritio, quàm viventis conservatio, similibus dum valet, contrariis dum ægrotat, procuranda? Hominis cum tenera est partium compages, primamque principiorum mollitudinem adhuc redolet, molli succo reparari amat; cum tempo-

ris serie, caloris actione, & exercitio aliquatenus induruit, & fibrarum robur validius adest, solidiora nutrimenta conveniunt; quibus econtra imbellis fibrarum vis inest, plus accedit boni à cibis mollibus, & qui vel levissimâ alteratione in substantiam partium abeunt. Unde adulti convalescentes à morbo, similiter ac pueri à partu ad dentes usque enatos commodè lacte nutriuntur. At Lacti suus delectus est, ratioque non omnibus una: Lac aliud multum nutrit, aliud parcè; hujus pars alia medicamenti modo se habet, alia vices gerit alimenti, hinc Lac quod impensius alit, integrè convalescentes sordibus pueros optimè reficit, dum labe aliquâ inustos non leviter lædit, plurimum aliàs adjuvandos ab eo, quod plus medicamenti habet in se, quam alimenti. Pueris lactandis dissimilem quoque statum intelligas, diversam pariter Lactis muliebris indolem. Utriusque naturam qui perfectè callet, penes est eum judicare, quid singulis conveniat, satiusque nihil esse, nec opportunum magis infanti recens nato, quam si lactetur eo quod sub jucundâ & familiaris alimenti specie, salutaris medicaminis auxilium præ se ferat.

I I.

MEDICAMEN exigit in alimento puer recens in lucem editus, qui, si non est totus à naturâ morbus, mille saltem agrotandi causas in se continet. Sanis licet ortus parentibus, morborum omnium semina in utero contrahit. Hic pediculi instar, quo fructus ex arbore pendet & vivit, umbilico suspenditur; hoc uno ille utero (ut solo planta,) insertus animam ducit, cibumque ad nutritionem & augmentum; hoc vitæ commercio totus à matre pendet. Ipsa, cum sui sit tunc maximè impotens, vix momento idem proli, quam gerit alvo, manet sanguinis tenor, eadem indoles: illâ irascente huic in venis ebullit cruor, mœrente torpet. Fœtui, parentis plus nocet gula quam inedia, otium quam labor. Ventris segnities, suppressus catameniorum fluxus, quibus sordibus non inquinat succum, quo eodem mater puerque nutriuntur? Hinc origo recrementorum, quæ per intestinum sanguinis motum, glandularum ope, in sætu secernuntur. Ex iis quod crassius, per viscerum tubulos ad excernendum idoneos, præceps datur in ventriculi, intestinorumque cavitates. Sordes istæ reliquæ sunt succi nutritii, consistentiam sortitæ diversam à diversâ glandularum compage quibus secretæ sunt; varium colorem à variâ mixtione; sic albescunt in ventriculo, è flavo viridescunt in gracilibus intestinis, in crassis ad nigrorem vergunt. Ex iis quod tenuius, glandulis intricatum stagnat, unde nisi sensim avolet, morbillorum, variolarum & cæterarum cutis scæditatum causa repetenda, ut depravata chylosis in ventriculo, vomitus, ventris tormina, largior sæpe lumbricorum seges, & sexcenta infantium incommoda è ventriculi & intestinorum recrementis quasi ineluctabili serie sobolescunt, nisi convenienti medicamento scædam illam illuviem primis à partu diebus tutò, paulatim, ac jucundè ab infantibus expurgaveris.

I I I.

PERICULOSÆ plena, res alexæ aulorum purgatio. Hæc integrè sanis; præsertim verò lacertosus, valdè nocet; agrotantibus, nisi cautione magnâ

abhibitâ vix prodest, cruda medicari nefas, neque in principiis morborum, nisi (quod rarè fit) materia turgeat; concocta commodius moventur, modo vires ferant, ætas morbus; non terox sit humor, sed fluidus, corporis pori aperti sint, lubrici: astrictam etenim alvum medicamento purgante aggredi periculosum. Mochlicorum quidem ut blandè purgantium ope Ars Medica omnino nequit destitui; illorum tamen parcior sit usus, nisi cum vis morbi mitiora spernit; forti nodo fortis debetur cuneus. Horum ut vis benignior, ita & iis uti frequentius licet. Tutior catharsis quæ coëffusione quâdam & *insuper* peragitur, maximè in calidis & siccis visceribus, ipsisque convalescentibus; omne enim nimium naturæ inimicum, quod paulatim fit tutum est. His cautionibus adde justam cathartici dosim, opportunum exhibendi tempus, accuratam rerum, quæ juvant læduntve observationem; rem in Arte Medicâ quoniam scitu difficillimam, nec nisi longâ annorum serie comparandam. Porro si, in adultis purgandis, quorum sermo morbi symptomata exponere, & quid agendum sit indigitare potest, tot rerum adhuc opus est exploratione, ne plus noceant quam juvent Medici; quantò magis cautos esse convenit dum rem habent cum pueris, quasi mutâ vitæ conditione præditis; qui morbosæ affectibus licet obruti, omnium unum dant signum, ejulatum. Hos ergo in totum serva *ἡσυχίαν* quam faciliè movebis, si extranea quævis medicamenta exhibeas. Apage qui ad expurgandum ab intestinis meconium, præbent cassiam, syrupos seu catharticos, seu è capillaribus aut violarum floribus paratos, oleum amygdalinum, mel, & innumeram, quam mulierculæ vinditant remedium saccharo conditorum farraginem; dulcia se in bilem vertunt, stomachoque tumultum concipiunt, vinum cane pejus & angue fugito, vacuis committere venis nil nisi lene decet. Sunt tibi mitiora præsidia non longo labore quæsitâ ipsi notiora ægrotanti; ab ipso impensius expetita, quibus assumptis confestim, filebit dolor omnis: in quibus vires acquirere, & hostes omnes vincet. Hoc Necesse benefico (quod colostrum est) jam turgent ubera puerperæ; id debilis infantis vitæ gestit succurrere.

Si prohibes, furis in mammis, turbasque dolorum

Miscet, & ingrata pœnas à matre reposcit.

I V.

COLOSTRUM maternum nihil aliud est quàm primum Lactis rudimentum à tenuiori & serosiori chyli parte genitum. Hoc unâ cum sanguine per arterias advehitur. In illo veluti Lactis sero, nitrosi salis plurimum est, sal volatile oleoso adunatum. Ab utroque vis cathartica, & diaphoretica, idque rirè describeris cum Medicis oculatioribus, alimentum medicamentosum, primis ab ortu diebus fugendum, quod excrementa è primis viis abstergit, & infantes leviter purgat: à sero mucus blandè detergitur, meconium diluitur, & foras expellitur: sale volatili oleoso, quo imprægnatur, urinæ vias eluit, exiliores corporis Meandros permeando, crassiores, qui in eis stagnant, humores attenuat, secum ducit tum per cœca cuti spiracula, tum patentiores corporis exitus, paulatim quidem securè & jucundè pro purgandi corporis indole. Quâ ratione infans ab utero exclusus tractatur, alicujus est ad catharsim colostro facilius

4

promovendam auxilii. Hinc ut omnia pareant ; insensilia cutis foramina frictio-
ne levi referenda , sensiles corporis meatus lustrandi , si fortè quis , præter natu-
ræ ordinem , occludatur , diligenter referendus , somno aut saltem quies dan-
dum corpus debile ad diem fere integrum , somno vires reparantur , crudi ha-
mores coquantur , humescunt & lubrica fiunt corpora. Interim à Medico pru-
denti victus tenuis data lex , dilutioris chyli generandi causa est , accommoda-
tius unde manet colostrum imprimis maternum , quod puerum parè nutrien-
dum parè nutriet , simul & humores aliunde ad excretionem paratos , facile ,
moderatè , & cum optata *euphoria* subducer.

V.

LAC novum igitur eò convenientius recens natis esto præsidium , quòd de vi
cathartica tantum in dies amittit quantum ad Lactis perfectionem accedit.
Quia tenuius est , minùs ipso Lacte corrumpitur in ventriculo ; sic ventriculus
Lacti digerendo & assimilando paulatim assuescit. Nullum infanti lacti ido-
neum magis , quam maternum. Errant sanè multum qui a lactatione suorum
avocant matres , dùm possunt , atque ipsis nutrices præferri jubent , quæ
sanitatis gradu , vitæ conditione , ciborum usu , à puerperæ temperamen-
to , vivendi ratione , & moribus fere semper discrepant. Gravius adhuc in
pueros peccant , qui vix in lucem editos Lacte statim elaboratissimo curant
enutriri : hos cum impuro sunt corpore plus læseris quam nutriveris. Lac ad
benè alendum aptissimum , ipsis dotibus grandioribus pueris convenit , recen-
ter natis officit. Ventriculo exceptum , qui totus scatet sordibus densatur , acef-
sit , concrevit ; unde stomacho sæpe præ pondere molestius , vomitu rejicitur
fecus , si deorsum feratur , obstructions parit , flatu , distentiones , & intesti-
norum cruciatus. Quod si fortè insolitâ vi naturæ omnia aliquando superantis ,
in intimos corporis recessus , ipsamque partium substantiam rapiatur , carnes non-
nunquam plurimo succo replet , unde puer speciosior & coloratior brevi vide-
bitur , sed inexpectata hæc bona suspecta habeas ; latet anguis in herbâ. Simul
cum alibili succo impuritas viscerum abrepta est. Incendium illa , ni caveas , mox
in sanguine concitabit à quo speciosus ille corporis habitus citò citius , quàm ac-
cessit , in anras evanescet ; floridus cutis color palori cummutabitur ,

Ergò Recens nato recens Lac Maternum.

Proponebat Parisiis , FRANCISCUS-MARIA LE MOINE ;
Parisiinus , Saluberrimæ Facultatis Parisiensis Baccalaureus ,
A. R. S. H. 1767. A SEXTA AD MERIDIEM.

Typis QUILLAU , Universitatis & Facult. Medic. Typographi , 1767.